



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Inclyto Heroi Nicolao Comiti Serino, Pannonicarvm  
Copiarvm Imperatori, Tvrcarvm Terrori, Panegyricus**

**Frizon, Léonard**

**Pictavii, 1666**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12215**



6




X XI.37.

Th. 5796.


# XI

23









INCLYTO HEROI  
**NICOLA O**  
COMITI SERINO,  
PANNONICARVM COPIARVM  
IMPERATORI,  
TVRCARVM TERRORI,  
PANEGYRICVS,  
IN REGIO PICTAVIENSI COLLEGIO,  
POSTR. CALEND. NOV. ANN. M. DC. LXV.

DICTVS

*A P. LEONARDO FRIZON, Soc. IESV.*

EIVSDEMQUE CARMEN AVTORIS  
in eundem Inuictissimum Ducem.



PICTAVII,  
Apud IOANNEM FLEVRIAV, Regis & Aca-  
demiaē Typographum.

---

M. DC. LXVI.





## AD LECTOREM.

**O**RATIONEM, ad frequentem fanè illustrém-  
que coetum habitam, cùm eruditissimi ho-  
nestissimique viri perinde ac juris publici factam  
repererent; accidissetque sub idem tempus, vt  
peculiari quadam officij ratione obstringeretur  
Autor Serini majoris ex Fratre Nepoti, lectissi-  
mo heroïcâque stirpe dignissimo Iuueni: adduci  
se amicâ blandâque vi passus est, inelaboratum vt  
Panegyricum typographiæ permitteret, materiâ  
certè rerûmque dignitate placituum.

Subiuncta est orationi pars Poëmatis in supre-  
mum Imperatoris maximi casum.

*alterius sic*

*Altera poscit opem res & conjurat amicè. Horat.*

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

AD R. P. S. M.

Main body of faint, illegible text, appearing to be a list or series of entries.



## AD LECTOREM.

**O**RATIONEM, ad frequentem sanè illustrém-  
que coetum habitam, cùm eruditissimi ho-  
nestissimique viri perinde ac juris publici factam  
<sup>re</sup>peterent: accidissetque sub idem tempus, vt pe-  
culiari quadam officij ratione obstringeretur Au-  
thor Serini majoris ex <sup>fratre</sup>Fratre Nepoti, lectissi-  
mo heroicáque stirpe dignissimo Iuueni: adduci  
se amicá blandáque vi passus est, inelaboratum vt  
Panegyricum typographiæ permitteret, materiâ  
certè rerúmque dignitate placiturum.

Subiuncta est orationi pars Poëmatis in supre-  
mum Imperatoris maximi casum.

*alterius sic*  
*Altera poscit opem res & conjurat amicè. Horat.*



INCLYTO HEROI,  
NICOLAO  
COMITI SERINO,  
PANNONICARVM COPIARVM  
IMPERATORI,  
TVRCARVM TERRORI,  
PANEGRICVS.

**H**EROËM celeberrimum, cuius acerbissimum funus publico luctu Christiani, Barbari festis ignibus prosecuti sunt, factorum immortalium gloriâ rediuiuum ex ultimis Pannoniæ oris in cœtum istum, confessumque amplissimum adduco (Auditores Ornatissimi) externum hominem, fateor; sed commune Christianæ Reip. decus & ornamentum : jam legitimo annui propè doloris spatio defletum; sed aciori in dies omnium desiderio repetitum. Habent peregrina admirabilitatem : vultus alienigenarum habitusque diligentius inueniuntur, quàm popularium ; &, quæ Franciæ laus est,

A

hospites humanitate complectimur singulari. Quòd si virtutem vel in hoste dignam laude iudicamus; quis meum de fortissimi Viri clarissimique Imperatoris laudatione consilium improbarit, vt non continuo virtutis præconio inuidere videatur? Præsertim cum is fuerit in magno Serino amor, ea Gallici nominis existimatio, vt Gallorum auxiliares copias vnice expetierit: quibus si fuisset instructus atque armatus, iam sibi nec Turcarum vim & impressionem reformidandam, nec Germanorum aliarumque gentium subsidia requirenda sentiebat.

Accedit autoritas, quanta potest esse maxima, prædicandæ fortitudinis illius heroicæ, Regum idem maximus & sapientissimus, vnusque ex omnibus rerum præclare gestarum Censor ac Iudex spectatissimus; qui non honorificentissimis modo verbis expeditiones, pugnas, victorias, præstantissimi Ducis in Aula iactauit, verum etiam transmissis insignibus donis ac splendidiori omnibus præmijs gratulatione decorauit. Felicem planè Ducem, ac fortunatiorem eximio tanti Principis testimonio atque elogio, quàm si tota in plausum & acclamationem effusa theatra circumsonarent! Quid igitur mihi, Auditores, speciosius ad dicendum contingere potuit, quàm vt interpretem augustissimi geram oraculi? quod vobis acroama iucundius, quàm si Ludouicæ voci, velut imago, in hoc Regali Athenæo mea resonet oratio? quid opportunius denique facere licuit, quàm vt hoc\* funebri die quasi funebrem instituam Panegyricum? neque iusto

\* Solenni  
defunct.  
commemor.

feriorem, cùm hic primus ab illo casu funestissimo agendi locus datus sit, gratique in publicum rei Christianæ propugnatorem animi contestandi.

Honorem inesse lacrymis & voluptatem, vetus est pronunciatum. Ego verò non squallore, non planctu & lamentatione summo Imperatori iusta persoluenda duxerim, sed apparatu longè pulcherrimo ac triumphali. Fingite vobis animo, Auditores, distinctam hanc aulam signis & vexillis militaribus, quæ crebrâ validaque præliorum contentione Turcis eripuit Serinus: trophæa vobis illa, quibus Croatiam Hungariamque illustravit, proponite: concentum illum Europæ atque Asiæ, quo Vir bellicosissimus & multarum palmarum Imperator exornatur, cogitatione gratissimâ usurpate: dum ipse pro meâ tenuitate laudes persequar Herois inuictissimi, de Religione, de Imperio egregiè magnificèque promeriti; Christianorum omnium & Principum & Populorum admiratione encomiisque celebrati.

Sed antequam ad excelsas exaggeratasque Serini virtutes aggredior; quibus quàmque generosis radicibus ea bellicis in rebus decora nixa atque excitata sint, indicabo. Equidem, si nihil esset aliud in Serinorum stirpe ac fastis commemorabile, quàm splendor nobilitatis, ditionis amplitudo; facilè morem Oratorum atque institutum omitterem de genere illius, cujus exornationem susceperint, differendi; neque in tantâ singularium laudum copiâ communibus & vsitatis immorarer. Atenim cùm Serinus ejusmodi sit ortus Ma-

goribus, vt hereditariâ fortitudine Terror Barbarorum extiterit; non committam, vt laureatæ imagines honestandæ exsequiarum pompæ defuisse videantur. Tametsi nec omnia producenda mihi arbitror Auorum simulacra, ne diutius oculos vestros longa series occupet triumphalium virorum. Specimen edam totius gentis; vnúmque vobis, vnde conjecturam de cæteris capiat, exhibebo Nicolaum Serinum, quem hic noster Auum & nomine & animo & omni virtutum genere prorsus retulit atque exscripsit. Ac ne illius quidem laudatissimi, & omnium gentium, omnium literarum monumentis ornatissimi Herois dignitates, imperia, vitam martijs operibus contextam euoluo: supremum actum duntaxat propono, mortem quâ memoriam sibi gloriâque peperit sempiternam.

Solimanus, longâ jam octoginta ferme annorum ætate in Christianorum direptionibus exercitâ; tot Principum cladibus, tot regnorum excidijs nobilitatus; integrâ viridique senectute acerrimus, Sigetho Pannoniæ oppido supra ducenta armatorum millia admouerat. Locum infidebat munitissimum Serinus; at ipsâ munimentorum varietate & multitudine debilitatum ob exiguam manum præfidiariorum militum; qui omnino trecenti supra duo millia, in duas vrbes, totidem arces diuisi ac dispersi, nullâ ex parte sufficerent, nisi vnus maximi validissimique instar præfidij Serinus Præfectus obtineret. Hic ego quid molitiones, aggeres, cuniculos, impetus Barbarorum exsequar? cum prætorianos Turcas vrgeret imperiosa atrocis

Sultani præsentia ; cùm propugnacula cæcis laboribus suffossa corruerent ; cùm innumerabilium immanissimorumque tormentorum assidua explosio mœnia labefactaret, turres excuteret, tecta disijceret. Sileo pulcherrimum iusiurandum, quo se Præfectus suosque ante obsidionem religiosè obstrinxerat; prudentiæ scientiæque militaris instituta, quibus urbem civitatémque munierat; præsentissimum animum, quo se periculis objecerat, & concidentibus saxis aditum ferro obstruxerat. Compendio rem transigo : ad quindecim assultus lectissimarum ex vniuersâ Turciâ copiarum sustinuit ; & quidem interdum ad ipsas quatuor & viginti continentes horas, dum ex immenso exercitu subinde alijs alij, defessis recentes, faucijs integri succederent : ad triginta hostium millia inter propugnationem, in iisque Bassas quatuor cecidit ; eò Solimanum adegit, vt ægritudine animi veriùs quàm corporis morbo consumptus obsidioni immoreretur.

Verùm eâ morte à Mahomete purpurato vaferrimè celatâ, vt nulla eius vestigia exstarent in castris ; vt ne tenuissima quidem tanti casûs aura domesticos afflaret, nedum ad hostes emanaret : numero obrutus Serinus, qui duo propugnatorum millia ducentis oppugnantium millibus opponeret ; inflammatâ nouâ primùm vrbe, veterem diu seruauit ; veteri vrbe disturbatâ, arcem majorem eatenus retinuit, viris ignibûsque pertinacissimè obluctatus, donec incenso propugnaculo infinita vis flammæ conspirantibus ventis ad sulfurati pulueris acervos peruenisset. Tum demum ad interio-



rem arcem extremasque rerum angustias contrusum; annonâ, machinis, militibus, loco denique ad repugnandum, ad consistendum absumptis, fœdissime grassante penitusque omnia depascente incendio; quid consilij cepisse suspicamini, Auditores? fugam esse meditatam, vbi nihil esset reliquum fortitudini? deditio- nem cogitasse? aut (quod maximum à probatissimo Duce expectari possit) omnibus armis instructum, in medias hostium acies sese immisisse, necessitate furentem, desperatione præcipitem? Nihil egit trepidè, inconsultè nihil: mortem ratione digessit; ad decus, egressum è vitâ Sigethoque composuit.

Iam inde à primo designatæ obsidionis rumore, ad victoriam aut necem paratus; posteaquàm urbem geminam, arcem vtramque, dum stetere, tutatus est, earum se ruinis jacentium inuoluere statuit: neque arma ad repellendam mortem, sed telum ad inferendam deligit. Triumpho se accingere credideris: sic ad splendorem excultus; galero ardeatinis pennis adamantibusque insignito pro galeâ, paludamento pro thorace ornatus; clauis arcis sinu conditas ad vltimum vitæ spiritum seruaturus, erumpit cum aliquot nobilium, frequentissimis cruentisque dimicationibus superstitem, globo; exoneratis interim, quæ restabant, minoribus bombardis ad opportunitatem eruptionis stragèmq; Barbarorum. Præeunte signo Cæsareo progreditur in pontem, deuotus non Dijs Manibus; sed vero æternoque, cuius piè magnificèque nomen inclamauit, Seruatoris hominum ac Vindicis numini. Gla-

dio inter confertos & vndique prementes Ianiffaros rem ita per dimidiam horam gerit, vt obstupefacti fortitudinis miraculo hostes vltro ad deditiōem inuitarent. Quid plura? viuus in Turcarum manus venire non sustinet: gloriosissimis in aduerso pectore & capite exceptis vulneribus occumbit; ingens omnibus vrbiū obsessarum præfectis exemplum ac documentum.

At enim sibi propriè vnicèq; natum ac propositum exemplum hoc domesticum semper arbitratus est noster hic Serinus, Auditores. In Aui simulacrum & imaginem, vt speculum, intento erectoque animo intueri solitus, ad eius quàm proximam similitudinem vitæ suæ rationes exegit; neque tam sanguinis, quàm heroiæ virtutis communionem vindicauit. Et verò sic Auum Nepos dignissimus exprimere amauit, vt vel habitu referret; eoque maximè cultu corporis & ornatu, quo mortem illum suam honestasse iam audistis, splendidus in Aulâ Viennensi apud Cæsarem versaretur. Id enim ab oculato locupletissimoque teste accepi; Dynasten qui bellico puluere sordescere pariter ac decorari gauderet, nitidum eundem atque elegantem in palatio; virili tamen & imperatorio quodam luxu, non ad mollitiā & delicias, sed ad magnificentiam & pompæ speciem triumphalis. Eminebat, inquit, serico pileolo ardeatarum pennarum fasciculus, ex adamantinâ palâ in modum cristæ assurgens: vestis, pro gentis more, fluxa & pretiosa, cui acinaces incumberet aureâ catenâ suspensus. Prorsus vt, qui fortitudine parem

in acie haberet neminem, in Purpuratorum cohorte vnus omnes formæ amictûsque dignitate facilè superaret, nec sine terrore aliquo voluptatem offerret spectantibus.

Quàm acris memoria in optimi Nepotis pectore viueret ac vigeret æmulandi Serini maioris; quàm altè infixi stimuli animum incitarent ad eius sequenda vestigia honorisq̃ curriculum emetiendum; testis illa planè magnifica vox, quam reddidit Augusto amicè monenti, sibi vt maturè caueret consuleretq̃, si fortè à Barbaris in suâ arce circumfideretur. Negauit Dux præstantissimus, qui se non sibi, sed reipublicæ natum existimaret, alio se tumulto quàm versis in ipsum mœnibus obtegendum: ita Majorum exemplis admoneri, vt sanguinem suum ad muri labem pro patriâ & Religione profunderet. Quare non est, Auditores, quòd me quisquam temere in præclaræ necis commemoratione nimium censeat; longiùsque, nec sentientem fortasse, ipsâ rei admiratione prouectum. Nam cùm eam partem laudationis, quæ petitur à Progenitorum virtute & gloriâ, quàmque latissimè crebri persequuntur Oratores, vniuersam in vnius hominis factum famamq̃ contulerim: tum præterquàm quòd ea laude strictim cursimque defunctus sum, istiusmodi virum ac virtutem exposui, vnde tanquam ex pulcherrimo fonte laudes posterioris huius Nicolai Serini vberimæ profluerent, ac reliqua sese diffunderet oratio.

Num verò, dum Sigethanam propugnationem & palmaria inuictissimi Præfecti facinora aduersùs Solimanum

manum oculis vestris subjicerem ; cuius iam vestrum, Auditores, subijt vereri, vt satis expectationem auitæque fortitudinis dignitatem nepos quamuis egregius sustinere possit ? Adeste securis animis, & aliquid auditis non inferius accipite. Sigethum superior ille Serinus propugnauit ; hic expugnauit : ille Solimani vitam exstinxit ; hic mausolæum eius superbissimum diruit. Quam urbem totis adortus viribus potentissimus Imperator, infirmam præsidio, iniquâ tempestate pæne proditam, cum exsiccata feruoribus æstiuis paludes facilem ad muros aditum præberent, expugnare tamen per diu non valuit ; sed bimestri oppugnatione attritus, incepti tædio ac desperatione extabuit : eam junior Serinus, cum nouam, tum veterem urbem, paucis ac tumultuariò collectis copijs inuasit, occupauit, diripuit. Diuinâ sanè prouidentia factum est, vt quasi ex ossibus Aui & cineribus exortus vltor, cladem Barbaris centesimo post anno rependeret ; cenotaphiumque infestissimi Christianis sacris Tyranni ac trophæum de Pannonicis cladibus & ruinis erectum funditus excinderet.

Age sanè, jacta cæteræ laudationis semina colligamus : cumque jam in Arce, in Ponte ac strage Turcarum defixa ad immortalitatem monimenta spectauerimus ; quid simile, quid comparandum in Heroë nostro animaduertimus ?

Seriniam quidem Arcem qui nesciat, hospitem esse in Europâ, ne dicam in orbe terrarum, oporteat. Hoc illud Pannoniæ validissimum propugnaculum, Tur-

cicæ potentia ac tyrannidis frænum, hostium aceruatissimis spolijs opulentum, conditoris nomine celebratissimum, quis satis pro merito commendarit? Quam arcem primùm suscipere ac moliri propè à Canisâ ad coercendas Barbarorum excursiones, cujus vel consilij vel magnitudinis animi fuit? substruere in mediâ insulâ, loco palustri & stagnantibus aquis propè inuio & inaccessio, cujus artis & prudentia? Tantam efficere, quantam nulla vis hostium diu aut inuadere ausa sit, aut concutere potuerit; cuius peritiane dicam, an magnificentia? attentatam interdum & subito incursum oppugnatam, disiectis profligatisque Turcarum copijs, soluere metu, periculo liberare; cuius virtutis & vigilantia fuisse prædicare? Tantane vnus hominis priuati vis, opum tanta profusio; vt suâ sponte, suis impendijs arcem operosam designarit, munierit aggeribus, machinis instruxerit, ornarit comœtu; totam Barbariem armatam, efferuescentem in Romanum Imperium atque erumpentem, ceruicibus interclusam suis sustinuerit ac propulsarit?

Grauitèr omnino tulit Sultanus id sibi objectum claustrum: & qui summos Christianorum Principes haberet ludibrio, ac liberè in omnem partem vagari omnique vastitatis genere sæuire soleret; sibi à Comite præfixas imperij metas, scopulúmque ad æstum insanæ ambitionis retundendum. Quid, quòd ex arce illâ in Ottomannorum fines atque adeo in Turcicarum Prouinciarum sinum penitus irrumpere, populationisque fructus amplissimos eò

Serinum conuehere, nec ferre poterat, nec prohibere? Inde minaces illæ denunciationes, expostulationesque armatæ. In Augustum pariter atque in Serinum, (quæ ipsi conjunctio gloriosissima extitit) ore furibundo intonabat. Inde, cùm ageretur de pace, illud in primis expetitur, Serinia vt arx deleteretur. Sentires injecto fræno vrgeri ferocitatem, ac compressam obluctantemque huc atque illuc se torquere & impatientissimè agitare. Vbi conditiones istiusmodi surdiùs audiuntur, immittitur exercitus, qui captatâ Serini absentiam inuisam arcem adoriatur. Sed, ecce tibi, audito aduentu hostium, repente ingenti voratâ viâ incitatissimo cursu Dynastes aduolat: ipsòque accessu sic percellit, sic de omni statu dejicit formidabiles copias, vix vt se venisse, ac videndo vicisse potuerit gloriari.

Hic audire mihi quempiam videor obstrepentem: Quam tu arcem canis & venditas, quæ tormentorum vi lacerata, cuniculis subruta & conuulsa, certè nulla est? capta, expilata, ferro flammæque dissipata euanuit. Quasi verò sit aliqua humanorum operum tanta firmitas, quæ non manibus humanis armorumque viribus infringi conficique possit. Quin ipse, quisquis obloqueris, fatum arcis excidiumque diligentius consideras? Agnosces profectò ex ruinâ magnitudinem; & Seriniam Arcem sic esse dissectam excisamque à Barbaris, vt ad Auctoris Dominique laudem adhuc integra stet, consecuturisque porro ætatibus constituta sit, nullâ temporum, nullâ hostium injuriâ & labe immutata. Quis enim arcem, & quâ maximè viâ expugnauit?

Primarius imperij Administer Ottomannici, qui eo Christianorum vallo euerso prædarúmque ex Turcis receptaculo, longissimæ atque operosissimæ fructum expeditionis cepisse sibi visus est, auidissimóque talium nunciorum Sultano Musulmannici probrum nominis limitémque sublatum imperij gratulatus.

\* *Barone  
d'Anan-  
gour.*

Gentiles Croatorum copias interim ducebat Serinus, arcis custodia præfecto (vt intelligas, quanti Gallicam virtutem ac solertiam fecerit) homine Gallo, \* nobili expertóque Duce. Ipse, quando nulla permittebatur iusti prælij facultas, in omnem carpenti agminis Turcici occasionem intentus atque imminens, Muræ fluminis trajectu hostes prohibebat; multas armorum suorum & corporis objectu Prouincias tuebatur. Nec tamen deerat suis in arce ab infinito Turcarum exercitu circumfufis: opem ferebat laborantibus: arcem ingressus, semel lunato munimento potitos Barbaros plurimâ cum strage deturbauit. Iam certissimum dedecus, præsentissimum exitium capiti suo impendere sentiebat Turca Polemarchus; acinacémque illum gemmis insignem, anceps munus & terrificum ab Sultano missum, si parum feliciter dextréque tractasset, ceruicibus se excepturum. Itaque summam impressionem comparat; &, antè fauciato graui-ter arcis præfecto, atque in proxima Christianorum castra deportato (breuî pòst extincto) promouet núbilo tectas copias; admotisque scalis, furentes strictis gladijs prætorianos in arcem immittit, pænè superato priùs muro, quàm vel ascendere, vel aliquid meditari,

siue à præfidiariis militibus, siue à vicino Cæsarianorum exercitu aduerterentur.

O caliginosum, atrâque notâ dignissimum diem; nec magis Dynastæ fortissimo, quàm vniuersæ Croatia, Hungariæ, Germaniæ perniciosum! Quid primùm conquerar? quos potissimum accusem? quò castrum ad annuam obsidionem tolerandam omni copiâ instructissimi, reipublicæ Christianæ tam salutaris, tam necessarii, non diutiùs retenti ac defensi rationem & culpam, quæ nulla in Serinum cadere potest, quò conferam, Auditores? Repentino atque improviso oppugnantium cominus Ianissarorum adpectu percussi & panicis quibusdam acti custodes, non pugnam, sed fugam cogitarunt: ipsâque trepidatione præcluso effugio, pœnas ignauitiæ quas Serino debebant, hostibus dederunt.

Equidem alias scio ad Cæsarem perlatas querelas: & suspicaces malignique consiliorum intérpretes, de illo belli nodo ac morâ quid subodorentur, haud ignoro. Vtinam licuisset, Auditores, optanti Serino impetum in castra hostium facere? non spiritus illos Martios, non oculorum ardentium coniectum, non vocis Imperatoriæ terrorem, non dextræ fulmina Barbari sustinuissent. Atenim negata sunt, quæ firmando Croatorum suorum agmini expetebat tria duntaxat millia, cum Franci nondum aduenissent, Germanorum. Quòd si adfuisset flos ille delectus Galliæ; quid ijs adjunctis non effecisset, cum illos animos, artem illam vimque adhibe-



\* vulgò,  
Raab.

rent, quibus subinde ad \* Arrabonem fluuium planè fractum est robur hostilis exercitûs? Non arcem vnâ modò, sed, fuis ac fugatis Europæ atque Asiæ copijs, totam quàm latè patet, Pannoniam ab importunissima teterrimâque seruitute liberasset. Verumtamen Cæsariani exercitûs Prætori venia danda, quòd expetitas cohortes roganti tradere ad oppugnationem castrorum recusauit: laus tribuenda, quòd Augusti stetit mandatis, neque vllâ se ratione abduci passus est à præscripta lege disciplinaque militari. Multa vereri coguntur ij, quibus summa commissa est reipublicæ; ancipites præliorum exitus, cladi connexam ignominiam & calamitatem, vrbium expugnationes, direptiones Prouinciarum. Prudentius nimirum est timere, quàm sperare. Habenda est Principibus in consilio fortuna publica: damno aliquo, grauioris detrimenti periculum aliquando redimendum.

Atque vt illud etiam attingam, quod re ac tempore conjunctum est (nihil enim est in Serini vitâ factis que dissimulandum) solutam Canisæ obsidionem quis audeat reprehendere? id quod & necessitas imperauit; & si quid est vitio dandum, totum est fortunæ peccatum. Neque enim temerariæ illi (si fas est cum profanis loqui) euentuum dominæ ita cum Virtute conuenit, vt non assiduè consilijs eius cœptisque insidietur, ac quidquid potuerit, de gloriâ decerpât. Non tamen suspensas ex illâ Virtus suas rationes habet; apta est ex sese: felicitatem præstare non potest; industriam, vim, constantiam præstat. Ecquam igitur partem omisit

Serinus bellicarum artium? quâ prouidentiâ, quâ celeritate omnia circumquaque populatus, Canisæ oppugnationi incubuit! Iam olim exustis suburbijis proluserat; atque hinc palustribus aquis, illinc artefactis ignibus eluuiionem atque incendium pariter vrbi immiserat. Quâ constantiâ labori institit; cum è quatuor strenuis Comitibus, simul arcem obsidentibus, vnus acerrimè suos promouerit, dum iniquo & palustri loco in multam noctem fossis insisteret; mediūque militem inter & ducem, testis idem actōrque operam non magis exigeret auctoritate, quàm exemplo intenderet! Eò denique ciuitatem adduxerat, vt suffossis vndique mœnibus & propugnaculis vltimum desperationi solatium Canisensis Præfectus appararet, cuniculorum incendiario puluere se suâque consumpturus.

Canisam cum dico, Auditores, urbem dico firmissimum Imperij Turcici aduersus Hungaros Germanosque munimentum & armamentarium: cuius liberationem vsque adeo cordi habuit summus Otomannicorum exercituum Prætor, vt omnia ejus causâ in discrimen se daturum pollicitus, vires omnes ad perrumpenda Christianorum castra nec munitionissima contraxerit. Id quidem sapientissimè cauerat, majori etiam fortitudine egerat Serinus, vt pontem Essekianum abrumperet ad Barbarorum impetus retardandos. Auditâ collectorum hostium famâ, castris excurrens ipsemet omnia recognouit, impendenti malo occursurus: quidquid vsquam ho-

stile reperit, discussit ac pessumdedit. At verò postmodum aut minùs fidi aut parùm seduli Curiores, dum vrgetur obsidio, Ismaëlis Bassæ cum immensis copijs aduentum non antè renunciant, quàm is proximè à Christianorum castris abesset. Deus immortalis, quæ viri fortis ac sapientis illa conflictatio fuit! quam acris asperaque virtutum inter se, non pugna quidem, sed agitatio atque in varias partes distractio! cùm hinc Fortitudo hosti cedere non sustineret; illinc Prudentia cum paucis agminibus effusam illam cunctæ Barbariæ tempestatem expectare omninò prohiberet! Cessit demum Fortitudo Prudentiæ, sine quâ non Fortitudo, sed temeritas fuerit; seque ad æquiorum locum & Christianæ Reipublicæ commoda referuauit.

Alia prætereo consultò, Auditores, quæ ipsi me silente intelligitis: cùm essent quatuor pari potestate Duces, quàm impedita esset obsidio. Illud quidem vsuenit in re bellica multis Præfectis credita, vt pares inter æmulosque haud minor sententiarum inter se, quàm cum hostibus, armorum, existat contentio. Atque vt inuidiosa prætermittam; auxiliorum certè ab Ordinibus Imperij submissorum difficultas & cunctatio expectationem Serini, qui successum obsidionis in festinatione repositum habebat, fefellerunt.

Commodiùs dixerit aliquis fortasse ac speciosius; non Martem illum communem, non Fortunam plurimùm in re bellica potentem; sed vnicum belli præfidem atque administratorem Deum, cuius maximè  
gloria

gloria in altissimorum capitum dejectione triumphet, victoriam naturâ ferocem castigare ac reprimere infelici casu voluisse. Et quidem in tanto rerum secundarum impetu perpetuâque triumphorum serie, quis admonendum infirmitatis humanæ Serinum fuisse ( ne felicitate nimîâ & quasi propriâ certâque vincendi facultate corrumperetur ) subsidij cœlestis necessitatem insigni exemplo perdocendum quis facile sibi non persuaserit?

At pius Imperator, veri solidique decoris appetens, ab inani fastu insolentique elatione alienus, fatis intelligere se ostendit, vnde manaret felicitas, vnde victoria descenderet; cum suam in arcem redux ab eâ, quam mox persequar, felicissimâ excursionem, multiplicique vnius expeditionis victoriâ, solennes Deo Opt. Max. gratias nulla interpositâ morâ venerabundus agere instituit; vni que omnem illam triumphorum segetem, cui debuit, retulit acceptam. Æquius igitur, Auditores, conuenientiûsque asseram, Immortalem Dominum, qui suos explorare aduersis atque acere soleat, ingenti animo partem deesse præcipuam victoriæ materiæque gloriæ non sustinuisse; vt qui semper eatenus in rebus prosperis & jure causæ & virtutis merito volitasset, ex altera etiam fortuna sanctiorem Christianæ militiæ lauream adeptus inuictâ patientiâ constantiâque triumpharet.

Ecquid vobis, Auditores, in defendendo Serino laborare videor, atque ab ignominia vindicando?

Sed quò summa denique recidit criminis & calumnia? Discessit ab arce, quæ vulgò inexpugnabilis haberetur, cùm eam plurimis grauissimisque incommodis vexasset, ac tantùm non diruisset. Discessit, ingruente hostium insanâ vi, pertinaciùs inhærere obsidioni tum bellico Senatusconsulto, tum paucitate militum & consternatione prohibitus. Felix profectò Imperator, cui tandem ab iniquissimis obijci possit, non fœda fuga, sed prouidus fortisque instructâ acie receptus: non clades prælio accepta; sed indefesso labore mirâque virtute affecta, defectu ac tarditate auxiliorum imperfecta victoria. Hæc vna belli offensio, communis illi cum summis ætatum superiorum, nostrorùmque temporum Ducibus, nomen tanti viri non obscurauit; sed fortunati in omnibus, quæ proprijs auspicijs liberâque potestate administraret, Imperatoris famam aduersitate potiùs ipsâ collustrauit. Majorem fanè in modum receptus ille utilis accidit Reipublicæ; cùm, disposito ad Muræ oram agmine, Serinus Barbaros Stiria, Croatia, Carinthia vicinisque gentibus minantes ac vastitatem longè latèque importaturos coërcuit; & frustra tentato sæpe transitu, nec sine magna ipsorum clade, interclusit.

Qui me locus, Auditores, admonet, vt plura de celeberrima, cuius supra mentionem intuli, Essékiana expeditione commemorem. Iactat suum antiquitas verbosa Coclitem Horatium: pontem illum, quem institit, amplissimum gloriæ campum ac thea-

trum ostentat. Magnum facinus! quis negat? Statorem hunc suum Roma, veriùs quàm Iouem, appellare potuit; qui labentem Rempublicam stitit, Hetruscorum ingruentes copias sistendo. Sed aude, miratrix veterum historia, pontem istum Sublicium cum Essekiano conferre; Thuscos è Lydia profectos, cum Scythica Turcarum immanitate: breuem aliquam moram, aduersis hostibus, dum à tergo pons reuelleretur; cum acerrima dimicatione pontem inuadentis, ferro ignique corrupentis. Enimverò, siue pontis magnitudinem, siue vsum consideremus, Auditores; jam vix decantatos illos Darij, Xerxis, Cæsaris, Trajani pontes, nedum Horatij, cum Essekiano comparandos necesse erit confiteri. Ac ne quis fortè rem à me nimium exaggerari verbis suspicetur; ex ijs quæ pauca de molis hujus exædificatione & structura dicturus sum, opus totum æstimet ac metiatur.

Cùm properans ad Sigethanam obsidionem is qui se Regem Regum, Europæ Asiæque Dominum, Terræ Marisque Possessorem inscribere solitus erat, Hamfæ Prætori pontem imponendum insternendumque Drauo flumini mandasset: scribit ad Solimanum, strenuus alioqui vir & ingentium Consiliorum Administer idoneus; pontem per altissimum ac rapidissimum Drauum fluuium & refusas ab exundante Drauo paludes, nihilo faciliùs quàm per ipsas nubes agi exstruique posse: rem jam sæpè tentatam, semper aquarum violentiâ abruptam & distur-

batam. Quid adhæc superbissimus Tyrannus? Mantile ad Hamfam mittit, cujus in ora mantilis legem aureis literis exararat fatalem; nec verò ijs mitiorem legibus, quas olim ab Atheniensi Dracone latas, sanguine perscriptas Orator Demades affirmavit: iusta curet utique; ni maturè ac tempori perfecerit, eodem illo mantili ad eius quem pontis impatientem causabatur, fluuij ripam elisis faucibus suspendendus. Quid non audeat desperatio? quid non labor improbus efficiat? Tam imperiosa diraque denunciatione Hamfa perterritus juxtà & incitatus, insanam substructionem totis viribus opibusque aggreditur, operarum quinque & viginti millibus ad eiusmodi molitionem adhibitis; militum ac nobilium hominum vi simul cum plebeia multitudine opificumque ceteruis enixissimè in id operis incumbente. Vbi trabes tignaque altitudo fluminis ac rapacitas defigi non patitur, nauigia validissimo inter se ferrearum catenarum nexu religata constituit; pontem denique instruit latitudine ad quatuordecim cubitos, longitudine ad plura milliaria porrectum.

Nec verò, ut incredibile celeritate perfectum, ita breui dilapsum est stupendum Turcicæ potentiaæ monumentum pariter atque instrumentum. Stetit operosa moles, non paucis diebus, ut veterum illi Perfici Romanique pontes; at solido seculo, ab Ottomannis summâ curâ diligentiaque conseruata; &, si quid interdum aut vetustate labefactatum esset aut quasi fluctuum arietatione, restituta, interpolata & con-

firmata: stetit, quoad oppugnaretur à Serino.

Neque otiosus deinceps, quemadmodum ille in Danubio excitatus pons Trajani, & ad ostentationem propositus restitit. Quàm frequens, quàm, non dicam opportunus, sed planè Turcis necessarius huius Effekiani pontis vsus ad belli commercium, ad transmittendos in Pannoniam exercitus, ad com meatus inuehendos, ad vrbes prouinciásque in officio continendas! Quamobrem plurimo eum lectissimoque præsidio infederant, castellis obuallarant, firmarant repagulis; omni munimentorum ratione instructum, non ab injuria modò, sed à metu etiam injuriæ defendebant. Adde quòd eò perueniri non poterat sine longissimo in hosticum procurfu, sine insidiarum periculo, sine crebro in locis iniquissimis conflictu. Per continuas, nexásque alias ex alijs contentiones ad majus periculum grauiorémque contentionem veniendum.

Age nunc, inusitatâ quadam felicitate per tantum hostilis soli tractum incolumes Dux copias traduxerit; commodè pontem oppugnarit, resciderit: quid tum? quâ se viâ expediet? quâ vi, quâ industriâ reditum explicabit? per asperas semitas malignásque valles, per vastos saltus abruptosque montes, per tumentium restagnantiúmque obices fluuiorum & sexcenta incommoda remetiendum iter, atque in singulos motus pro capite dimicandum. Christianis nulla certè fœdior in Pannonia clades, quàm ad Effekium contigerat; cum ornatissimum exercitum Bar-



bari, & quidem incruentâ victoriâ (rem ante illud tempus nostris in expertam) iniquitate locorum oppresserant. Miserandum in modum Ferdinandi milites circumuenti, dissipati; alij paludibus hausti limoque obruti, telis alij ad victorum satietatem concisi periêre.

Adest, vices Deo mutante, adest qui labem illam Christiani nominis inueteratam atque inolitam sanguine hostium eluat; trophæumque sibi in superiorum Ducum & Imperatorum sepulcris constituat. Ille, ille pons magnitudine immensus, munitione præfidióque inuictus [cui reficiendo atque instaurando sex ipsos menses à Turcis impendendos fuisse narrant] à Serino abruptus & comminutus, perpetuum extabit ejus consilij sapientissimi, excursionis mirificæ, incredibilisque virtutis monumentum. Altæ illæ paludes & lubricæ oræ quæ oppugnantem non retardarunt, quæ cruore hostium redundarunt; quæ fragmentis fumantibus membrisque tantæ molis sparsæ, opertæ, obstructæ, immanis speciem naufragij misto inter aquas incendio retulerunt: montes illi, quos vltro citroque commens superauit; campi ac saltus, quos expeditissime peragravit; fluuij, quos ne leuissimo quidem accepto damno trajecit, imperatorias Serini virtutes mutæ ipsæ regiones prædicabunt. Et tanta quidem Essekianæ illius expeditionis fama gloriæque extitit; vt hanc nominatim Rex in victoriæ sinu genitus adultusque, nec tam Regijs insignibus quàm trium-

phis augustus, illustri præconio commendare; & cum ipse pulcherrimum omnium sit exemplar, aulicæ tamen Nobilitati celebrem excursum ac receptum, victoriámque in paucis memorandam vltro ad æmulationem proponere admirationémque non dubitarit.

Reliquum est, vt passim editam stragem vastitatemque prouincijs Turcarum illatam, ad implenda Herois nostri encomia, generatim obeamus. Date hanc mihi veniam, Auditores, vt quasi ad caput se reflectat oratio, eaque subnectat, quæ differre hætenus coëgit ipsa rerum inter se implicatio.

Erat illud in more positum institutóque veterum Germanorum, si Tacito credimus, vt Duces ex virtute fumerent. Id adeò factum à Pannonibus est, vt bello instante barbarico Imperatorem sibi Nicolaum Serinum, non ex dignitate quâ eminebat generis, verùm ex singulari quâ præcallebat virtute, communibus votis à Cæsare impetrarent. Belli molem grauitatemque periculi, quam nullâ fatis oratione consequi atque explicare possim, verbo complectar, Auditores, si modò autorem belli, calamitatis fontem caputque Turcam dixeró. Vbi fatale hoc funestúmque nomen aures vestras percussit; ecquid continuò immensam potentiam, quæ Asiam, Europam, Africam vno imperio deuinxerit; barbariem omni immanitate teterrimam, & inexpiabili ac plusquam hostili in Christianos odio bacchantem, cogitatione informastis? Hic ille prædo regnorum & insatiabilis helluo, magnâ jam parte deuoratâ terra-

rum, auidius orbi reliquo inhians; cum Daciam jamdiu spe ac designatione occupasset, in eam demortuo mutatóque subinde Regulo, sic tanquam in caducam & vacuam hereditatem inuolarat. Iam arce Varadinâ & Nehaufaliâ, velut januâ effractâ reuulsâque, minis, terroribus, populationibus omnia miscbat. Fatale Ottomannorum Signum Adrianopoli fuerat elatum Mahometico ac detestando ritu, fanaticisq; in Christianos diris intortis. Feruebant insani apparatus: influebant in Pannoniam innumerabiles copix: tormentorum omnisq; generis machinarum tractu ingemiscebant flumina, campi contremiscebant.

Magnum, vsque eò formidolosus temporibus, fuit, ductum exercitûs, nec numero militum, neque comatu satis instructi, aduersus potentissimum Barbarum non recusare. Quid Serinus? ita bellicum imperium suscepit, vt, inter obligandam Cæsari fidem, omnem curam adhibiturum se sponderit, vt Maximi Veziri caput ad Augusti pedes reportaret. Nec verò magnificentius dixit, quàm acturus fuerit; dedisset modò se ille in discrimen, & manus cum Serino ausus fuisset conferre. Eandem profectò vim sensisset, quam expertus aliàs Bassa fuerat adornatæ Seriniam in arcem expeditionis Ductor, fatali Comitis inuictissimi dextrâ prostratus. Vidisset opimis spolijs ouantem Serinum Vienna; & caput belli, ab exercitato Duce amputatum, plausu tota fuisset Pannonia profecuta.

Sui securus, ne quâ parte timori esset obnoxius,  
 vxorem

vxorem liberósque in sinum deponit ejus Reipublicæ, quicum societatem consiliorum bellique in Turcas fœdus conjunxisset. Quæ quidem tanti Viri pignora summo cum honore apud Venetos habita, nec sine amplissimis donis ac muneribus postea sunt remissa. Tum fortissimus Imperator eâ curâ solutus, totúsque in publicam Christianorum causam incumbens, id etiam piè splendidéque excogitauit, vt solenni jurejurando sese ad aras obstringeret; præsentique, cui præliaturus erat Deo, planè deuoueret.

Eant nunc Romani Decij, ridiculis juxta & impijs cerimonijs ac superstitionibus execrati veriùs quàm consecrati. Hic supremo Imperatori & Præfidi victoriarum Deo sacramentum coram sanctissimo Eucharistiæ mysterio dicit: inde animos, inde vires accipit, & largissima stipendia. Ac si Iudæ illi \* Machabæo visus olim fuit Vates gloriosissimus, sanctum gladium, munus à Deo porrigere, quo gladio aduersarios dejiceret Israël; ecquid nouo Heroï, pro aris pugnaturus, ex aris arma suppeditata creditis, Auditores, quibus hostes capitales Christianæ Religionis cæderet ac profligaret; Pios jampridem crudelissimè vexatos & grauiora passuros tegeret ac vindicaret; *Dei præsentia magnificè delectatus*, Deo duce & comite cunctis humanis viribus superior?

\* Machab.  
l. II. c. xv.

Majore profectò quadam vi præditum & animatum esse oportuit, qui tanta non modò supra spem gerendorum, sed ultra gestorum fidem præstiterit. Parum illi fuit hosticos limites perum-

D.

pere : in Turcicarum Prouinciarum sinum ac gremium penetrauit. Sua in Barbaros exempla conuertit fœuitie necessariâ : Quinquecclesiensem urbem amplam & opulentam, quæ simulatâ deditione turmam è Serinianis interceperat, exussit : vastitatem ad quadraginta leucas circa Sigethum & Canisam circumtulit. Tardior est mea Serini progressu oratio. Agmen non ducit ; sed rapit : neque ille cursus est victoriæ, sed volatus.

Vt assiduas Turcis Tartarisque ab summo Duce illatas passim clades omittam ; vna instar omnium expeditio fuerit. Mediâ & scilicet asperrimâ, vt ijs oris, hieme, dum alij nullo satis tecto vim frigoris defendunt, incensus animo Serinus in subditas Mahometanis regiones irrumpit. Post excisum immanem illum Essekiij pontem, plurimas vrbes quâ vi, quâ deditione occupat : multas consumit igni ; præsidium alijs imponit ; supra sex Tartarorum ac Turcarum millia concidit ; innumeros in captiuitatem abripit. Quid terna equorum ; vicena pecorum abacta millia percenseam ? quid supra quadragena ænea tormenta, signa & vexilla creberrima, è quibus septena in specimen transmissa ad Cæsarem ? Vel gregarij & tenuissimi quique milites prædâ locupletati, cum quæ quisque ex hostico rapuisset, ea publico magnificoque Serini concessu, propria vt iure optimo parta obtineret. Denique, vt rem præcidam, mille hostium vicos & oppida Serinus vnâ hieme, nec rotâ, inflammauit ; totâmq; adeo Turcicam in

Pannonia ditionem deformauit incendijs, cædibus funestauit. O Virum Hunniadis & Scanderbegis accensendum! ô celeritatis, magnificentiæ, fortitudinis prodigia & miracula!

Illud tamen, quanquam ad exitum festinat oratio, transilire, Auditores, nullo modo possum, quod Serino ad urbem Canisam, quò ipsemet ante obsidionem explorandi causâ accesserat, insigne ad stuporem accidit: vbi duodecim tantum equitibus stipatus in silua à pluribus Turcarum cohortibus circumclusus est. Quid ageret in ijs deprehensa Virtus angustijs? Scimus iniquo & saltuoso loco interceptum Romanum Consulem jugum non detrectasse; circumuentum ab Fabio Maximo Annibalem, vix astu & stratagemate euasisse; Marcellum, illum imperij Romani gladium, cum speculatoris munere Dux ipse fungeretur, exceptum insidijs, miserè cum suis trucidatum. Serinus neque ignominiam seruitute subiit, nec incolumitatem dolo quæsiuit, neque insidiarum impetu vitam amisit: verùm, submisso diuinitus Croatorum manipulo, in circumfusam multitudinem erumpens, sibi Turcarum cæde libertatem, vitam, gloriam asseruit. Et quidem in latronum illorum agmine fuit, qui lorica inuictâ & impenetrabili plagas omnes captus eluderet; vt bouis instar mactari hominem necesse fuerit. Atque is adeo certus ad prædam, vt rebatur, in casses delapsam accurrerat, vt laqueum ingentem è serico contortum attulisset ad vincendum.

Serinum, quem Sultanus proscripsisset infinito proposito pretio, si quis viuum mortuúmue exhibuisset. Ita quem ferro vincere non valebat, auro oppugnabat.

At verò, dum taciti liberato Serino gratulamini, acerbâ sanè recordatione conturbor, Auditores. Silua illa, quâ in siluâ solus fermè Barbarorum copijs obsessus, extremum necis & seruitutis discrimen adierat, id obtrudit quod à me vos dudum expectare videmini; ego inuitus ac reluctans, vix adducor vt admittam animo, nedum oratione expromam. Cogitatione, mihi credite, perhorresco; cum Imperatorem omnibus virtutum numeris & partibus absolutum, Heroëm illum inuictissimum; post Sigethanas, Eslekianas expeditiones; post æquatas pugnis victorias, post vrbes gentésque vno armorum impetu & continenti ferie triumphorum domitas; illum Pannoniæ Vindicem, illum Christianæ reipublicæ Assertorem; quem modò è silua, sic tanquam leonem in canes venaticos, in confertos hostes erumpentem sternentemque cataphractos Barbaros vidimus, atroci tragicóque exitu ab apro oppressum necatúmque cerno.

Tot igitur pericula euaserat? toties è medio igni ac ferro saluus & incolumis redierat? toties Ottomanos fuderat, fugarat, ceciderat, vt apri mole obrutus, morsu cruentatus, infelicissimam mortem oppeteret? Quàm optaret in hostilium castrorum oppugnatione animam & sanguinem profudisse! quàm

dignum suo genere tumulum in urbium arciumque  
ruinis inuenisset ! Nunc bello abstinere per inducias  
coactus, atque à Mahometanorum vexatione tem-  
perare, dum paria cum bello facit aprorum acerrimâ  
venatione ; fauciam feram insectatus per confragosa  
siluarum, vix equo defiliit ad conficiendam acinace  
belluam ; cum illa, ad innatam feritatem accedente  
vulnerum dolore, in rabiem acta, furioso insultu  
deicit Venatorem ; incumbensque totâ mole cor-  
poris, Victorem iteratis in collo dentibus indignif-  
simè jugulat ; idque tandem assequitur, quò frustra  
hostium vel illusa vel infracta tela adspirarant.

Hiccine tibi, Serine fortissime, ad necem cam-  
pus gloriæ seruabatur, silua & solitudo ? hiccine ho-  
stis, cujus dignitate vltimam calamitatem leuares,  
aper debebatur ? hoccine præmium ardor iste vlcif-  
cendæ profligandæque impietatis ? hoc ista solennis  
ad aras capitis tui deuotio ? hoc egregia virtus tot la-  
boribus exhaustis pro Christiani nominis gloriâ me-  
ruerunt ? O casum acerbum Pannoniæ, grauem Ger-  
maniæ, pijs omnibus luctuosum ! vni Turcarum gen-  
ti lætum, ac sanè multis in urbibus festorum ignium  
pompâ celebratum ! Cùm viderent Pannonici Bas-  
sæ adhuc fumantes vastissimæ populationis reliquias  
& horrenda busta regionum ; non potuerunt non ge-  
stire lætitiâ, extincto illo fulmine, cuius impetu con-  
quassata, protrita, incensa circùm omnia squallebant.  
Sublato illo scuto, ineluctabili veriùs propugnacu-  
lo Romani imperij, gaudijs omnibus triumpharunt.



Est illud tamen solatium in malis, quòd talem ac tantum virum vir itullus superare potuit; nec nisi victor vulnerati morientisq̄ue portenti casu elusus occubuit. Vixit carus suis, magnus etiam summis; Regum Imperatorumq̄ue gratulationibus ac donis cultus & ornatus; Christianorum omnium & sermonibus & scriptis, nec verò minùs Tartarorum ac Turcarum terrore, fugâ, exitio illustratus. Deerat jam exercendæ virtuti bellicæ materies; imperatorijs artibus explicandis campus interclusus. Euocatus est ab Cœlesti Duce & Principe, post immensos labores ad certam honestissimamque quietem; post pugnas innumerabiles & victorias, ad palmam & coronam immortalem. Prouidentiam rerum omnium Dominam & Moderatricem sapientissimam rite castèque veneremur: ac rei Christianæ commodatum seruatumque vt populos seruaret, quoad belli Turcici necessitas postulauit, memori piòque animo gratulemur. Non aliquâ fortunæ inuidiâ mors illi prærepta est gloriosa; sed arcano altiorique Numinis consilio vita quàm breuissimo doloris sensu repetita, seu potiùs cum beatissimo æuo commutata.

Quòd si longiùs prospicientes, Christianis rebus à perfidia timemus Barbarorum; non totus obiit Serinus, Auditores: viuit adhuc spiratque in Filio, exspectationis maximæ adolescente, qui jam se abunde Venetorum sapientissimæ Reipublicæ approbavit. Superest alter Serinus, vt heres munerum & magistratuum bellicorum, sic virtutis consois, &

præclarè factis Nicolai Serini verè germanus. Qui præter varias olim clades Ottomannis importatas, recens etiam sic accepit Barbaros in Croatiam induciarum tempore incurrentes, vt ad querelas descenderint qui prohibiti fuerant injuriâ. Atque hic tanti est vel apud eos ipsos quos pessimè habet, vt in paucis Aulæ Cæsareæ Proceribus salutatus donatúsque sit amplissimè ab Ottomannico Legato. Quid ego de hujus Filio dicam, florentissimo Iuene? qui lustrare Galliam est aggressus; & quas toties à Patre <sup>Avunculoque</sup> Patruoque audierat, virtutes propiùs spectare, patriamque laudum obire instituit.

Certè cum domos stirpésque Deus alijs alias dotibus notarit & insignierit; Serinorum gentem eximio, vt Christianè loquimur, SPIRITV FORTITVDINIS armasse videtur ac decorasse, vt excubent in Sancti limitibus Imperij; furorémque Turcicum oppositu suorum pectorum à Pannonia, Germania, ceterisque nationibus Christianis, transfusa Majorum in Posteris virtute, auertant. Hanc illis propriam laudem perpetuámque, Auditores, prece-  
mur; vt Mahometanorum Terrores ijdem sint  
& Orbis Christiani Deliciæ, Belli præ-  
fidia & Pacis ornamenta.





NICOLAUS  
COMES SERINVS  
AB APRO CÆSVS.

CARMEN.

**S**ILVÆ crudeles, silvæ, queis Martia Virtus  
Occubat, inuictamque animam cum sanguine fundit  
Christiadum SERINVS amor terrorq; Getarum!  
Tantane Apro jam semineci permissa potestas,  
Quanta nec Ottomano cunctis viribus hosti?  
Desidis impatiens, dum bello parcitur, otî,  
Haud mollem venatum agitat. Quàm barbara mallet  
Agmina, Turcarumque greges! Sed pace coactâ,  
Ludicro interea silvas certamine miscet,  
Proturbâtque feras & Martis imagine gaudet.  
Mutato subijt requies operosa labori.  
Ergo immanis Apri, mediâ sub morte, ferocem  
Inter lustra fugam premit ardens inuia victor:  
Et jam desilit acer equo, strictoque coruscus  
Obtruncare parat SERINVS acinace prædam.  
Ab, nimum confise animis, confise lacertis!  
Vim compelle canum, flagrantis verberare plumbi.  
Desuper ingemina plagas; neu cominus æquo.

Aprum

*Aprum inuade solo, Paribus quondam occidit ausis  
Fortior Ancaeus iusto, Calydonia in alta.*

*Spumosa in rabie atque suo se in sanguine versat  
Vulnere fixus aper. Quæ te malesuada cupido  
Exstimulat? spolia hæc tristi captanda periclo?  
Tanti informe caput? Sed non reuocabilis instat  
Usque fero, & summos Venator destinat ictus.*

*Quid vos, ô, quorum exercent mortalia curas?  
Non ego te, Dryadâsque iuas, Latonia Phæbe,  
(Quâ duce venantes olim, quâ præside freti)  
Appello, veterum commenta & crimina Vatum.*

*At vos, ætherij iuuenes, queis credita vita,  
Credita regna virum, Genij! Túque Optima VIRGO,*

*(i.) Pannoniam, sacro deuinctam munere, gentem  
Reginæ imperio complexa, Parentis amore!*

*Túque adeo, humana Princeps Vindéxque Salutis  
Maxime, qui maria ac terras sublimis Olympo*

*CHRISTE, regis, præsens cuncta ad discrimina Numen!  
Num decuit prohibere nefas (ah! parce dolori;*

*Publica damna queror) capitique auertere tanto  
Insolitam exitij faciem, casusque cruentos?*

*Vestris ille tamen sese deuouerat aris,*

*Unde atras Ciconum tædas atque impia tela  
Reppulit, exuuiisque tholos distinxit ouantes;*

*Templa coronauit signis. Decrescere visa  
Cornibus obtusis, captiuâque Luna pependit.*

*Nec minùs, Odrysiæ clades certissima gentis,  
Christicolùm armipotens & ineluctabilis ultor,*

[i.] Hungaria D. Virgini dicata à sancto Stephano Rege.

E

Concidit, & caso immoriens confunditur hosti.  
 Corpore inhorrescens toto, furisq; resectus  
 Venanti se immittit Aper: ceu saxea pila,  
 Adriaco violenta sinu quam machina adegit.  
 Iactu elisa tonant maria, & spumantibus undis  
 Tempestat insueta fremit: via rupta barathro;  
 Pondere anhelat humus, tremefactaque littora circum.  
 Setigerum atrocem Heroi sic turbidus infert  
 Impetus: haud aequos animis palmaribus artus  
 Sternit bellua vasta, ferâque Erymanthide major.  
 Tum super insanâ dejectum mole recumbens,  
 Multâ reluctantis jugulum rostro haurit adunco;  
 Obliquum infigit repetito vulnere dentem.

Viderat exanimis, tragicoque CROATIA casu  
 Perdita: tum mæstis incendit vocibus auras,  
 Et magnum lamenta præit geminanda per orbem.

Heu furor, heu monstri facinus! ferrum inter & ignem  
 Incolumis, pugnisque assurgens omnibus Heros  
 Altior, indignæ potuit succumbere morti!  
 Nate, dolor Matris, Genitricis gloria, Nate,  
 Huccine tot parti bellis recidère triumpho,  
 Victor ut indecori confectus denique leto  
 Sic jaceas? hæc Virtutem pretia ampla manebant?  
 Ast ego Bistonias metuebam improvida turmas,  
 V'imque dolûmque Tibi; seu cum rescindere pontem  
 Essekiûm auderes, Getici commercia Martis;  
 Turbine seu rapido medios inuectus in hostes  
 Omnia cum ferro misceres, omnia flammâ.  
 Ottomanæ sed nil fraudes, Byzantiæ arma:

Formidandus Aper, saltuque exercita Pacis  
 Otia monstrifero. Nam quò Te fata reseruant!  
 (2.) STROZZIADÆ inuideas, si quid, Fortissime, sensus  
 Restat adhuc. Trajectu avidos dum fluminis arcet  
 Osmanidas, glandem flammam fronte recepit,  
 Splendidaque æternam retulit sub funera laurum.  
 Tu felix, pulcramque necem sortitus, & isto  
 Dignam animo, captis Byzantî mœnibus ingens  
 Corrueres, Cruce purpureus Scythicoque cruore.

Hoc miseranda tamen, Princeps, solabere fata.  
 Iam Tibi sat decorum, congestaque præmia laudis:  
 Eximij simulacra Ducis volitantia longè  
 Per populos lateque coli tua nouimus ora,  
 Grandiæque immenso celebrari nomina plausu.  
 Et tua longinqui jactant præconia (3.) REGES:  
 Diuersaque Aulâ, gestis miracula rebus  
 Gratantes, donis absentem insignibus ornant.  
 Gloria & augustis manibus Te Fama coronat.  
 Inuictus, SERINE, viris, victique ruinâ  
 Oppressus, tum castra petis fulgentia Diuum,  
 Cœlestem post sacra ferens certamina palmam,  
 Iunctus Aus, meritosque agitas super astra triumphos.

At mihi quæ tanti fuerint solatia luctus?  
 Tu Scutum & Gladius Patriæ, quo sospite motus  
 Nunquam Threïcios expaui, Osmannica bella;  
 Quo Duce magnanimas inter caput ardua gentes

[2.] Comes Strozzius, Illustrissimi Serinij Collega, fortissimè dimicans occubuit ad oram Muræ fluuij, dum Barbaros transitu prohibet.  
 [3.] Reges Christianiss. & Cathol. &c.

*Extuleram, præincta nouis Regina trophæis.  
 Nunc Thracum effrænis exposita incurfibus, orba  
 Præfidio, quid agam? ni Tu, clariffime, Fratris,  
 PETRE, vicem partésque fubis, lux altera regni  
 Spésque Salúsque mei! Nec Tu facrata mouere  
 Bella rudis, Thracúmque fugacia cadere terga.  
 Túque agè fulminei vires animósque Parentis,  
 Exfpectate, refer, laudésque haud degener imple,  
 O Iuuenis, per nota parem uestigia grefsum  
 Strenuus accelerans. Et Auorum ingentia facta,  
 Et Pater & Patruus fublimibus excitet aufis,  
 SERINE, Odryfio nomen fatale Tyranno.*


*Hos inter gemitus complexa CROATIA Natum,  
 Semianimémque fouet gremio, ficcátque cruorem.  
 Pannonia exceptit luctum; planctúsque fecuta  
 Stiria, Carniola & pallente Carinithia vultu,  
 Autfriáque & comites trepido circùm agmine Nympha  
 Mærorem ingeminant, leffúmque Europa frequentat.  
 Quo (4.) Zakaturnenfes infamat crimine filuas  
 Sauius Aper, funeftum & non medicabile vulnus  
 Germanæque Aquila & Veneti fleuère Leones.*

[4.] Zakaturnum, arx Croatiae, è ditione Serini Comitis: quam ad urbem dum venaretur, luctuofiffimo cafu interiijt.



















Th

5796